

adhuc evincunt testimonia, quæ Concilium ad firmandam doctrinam suam capite 6. ex S. Scriptura pro justificatione tam extra sacramentum, quam in sacramento profert his verbis: *De hac dispositione scriptum est: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua; et: Pöenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.*

Idem Gormaz insert, non esse sermonem Concilio dè amore Dei participativo, quando homo attritus justificatur cum sacramento; verum etiam de amore Dei formalis, sive perfectæ caritatis sive concupiscentiæ. Sicut enim is, qui videre incipit, re ipsa videt, et qui intelligere incipit, re ipsa intelligit; ita etiam, qui diligere incipit, re ipsa diligit.

ARTICULUS V.

QUODNAM PROPOSITUM CUM CONTRITIONE AD PÖENITENTIÆ SACRAMENTUM REQUIRATUR?

172. Nota. Initio hujus capituli diximus, fuisse Theologos, qui formalem dolorem internum de necessitate et essentia hujus sacramenti esse negabant: hi consequenter docent nullo proposito opus esse. Ac Dominicus Sotus quidem dist. 17. q. 1. a. 2. aperte pronuntiat, confessionem nunquam fictam esse ex defectu propositi, si tamen pöenitens suum defectum confiteatur.

E contra Joan. Major, Jac. Almainus in 4. d. 14. q. 4. Navarrus, Petrus Sotus, Andreas Vega, Reginaldus et complures alii existimant, requiri saltem ac sufficere propositum virtuale, necessario implicitum et inclusum in eo actu, quo peccata ex motivo caritatis aut aliis virtutis generalis detestamur.

Hanc quoque sententiam perniciosi erroris damnant Bellarminus L. 2. de Pöenit. c. 6. et 7., Melchior Canus, Valentia, post Adrianum, et Cajetanum, nisi potissimum auctoritate Cone. Florentini, quod in instructione Eugenii ad Armenos, et Tridentini, quod Sess. 14. cap. 4. docet, primam partem materiæ hujus sacramenti Pöenitentiae esse contritionem, ad quam pertinet dolor cum proposito non peccandi de cætero.

Media via inter utrosque incessit Suaresius disp. 20. sect. 4. n. 33. et amborum sententias conciliavit: cum quo

173. Dico. Propositum formale, per se loquendo, necessarium est ad contritionem, partem marteriale hujus sacramenti; per accidens tamen sufficit virtuale.

Prob. 1^a. pars. Concilia FLORENT. et TRID. docent, ad contritionem, primam Pöenitentiae sacramenti partem, pertinere *propositum non peccandi de cætero*; ergo si quis confitens peccata mortalia sciens volens omittat propositum formale, et in ea dispositione absolutionem recipere velit, sine dubio graviter peccabit, ac reddit sacramentum nullum; eo quod ne virtuale quidem propositum habere convinceretur, quod vere contrito esset facillimum.

Ideonihil est magis usitatum in administratione hujus sacramenti, quam exigere a fidelibus propositum cavendi deinceps peccata.

Prob. 2^a. pars. Concilium TRIDENT. ait, sufficere in hoc sacramento attritionem ex gehennæ metu, *si voluntatem peccandi excludat*: atqui omnis contritio efficax voluntatem peccandi excludit, etiam sine formalis proposito concepta, ut disputatione præcedenti cap. 2. a. 3. ostendimus; ergo ad contritionem in hoc sacramento sufficit saltem per accidens propositum virtuale. *Hujusmodi videlicet anima mavult dilectio Deo mori, quam eo offendendo vivere*, inquit B. AUGUSTINUS tract. 71. in Joan.

174. Obj. I. Concilia non frustra exprimunt requiri dolorem et propositum; ergo sicut nunquam sufficit ad sacramentum pöenitentiae dolor tantum virtualis: ita ne per accidens quidem sufficiet aliquando propositum virtuale.

R. N. Cons. Moestam preteritorum erratorum detestationem formalem ipsum pöenitentiae nomen insinuat. Et Concilium TRIDENT. Sess. 14. cap. 4. loquens de attritione non tam expresse requirit formalem propositum, sed solum dolorem illum, qui *peccandi voluntatem excludat*: contritio autem imperfecta et efficax includit virtuale propositum contrarium voluntati peccandi; ergo hanc excludit essentialiter: cum e contra possit esse efficax propositum vitandi actionem malam sine ejus detestatione et dolore.

Inst. Quia contritio requiritur ex necessitate sacramenti præcepti, non ideo sacramentum Pöenitentiae valet, quod pöenitens ex inadvertentia contritionem omiserit; ergo cum inadvertentia tollat defectum propositi formalis, hoc non videtur exigi ex necessitate sacramenti vel præcepti.

R. D. Cons. Hoc non videtur ita exigi per se N. per accidens C. Neque est eadem ratio contritionis et propositi in hoc sacramento; nam contritio est essentialiter detestatio peccati præteriti, confessio est accusatio peccati præteriti, absolutio etiam essentialiter et unice in peccata præterita fertur. Igitur cum omnes partes essentiales sacramenti et ipsius pöenitentiae etymologia noxas commissas specent, dispositio in futurum non tam videtur esse intrinseca, quam detestatio peccatorum præteriorum.

175. Obj. II. Qui habet judicium firmum de relapsu, non habet verum propositum ac detestationem; nam cum actus voluntatis dirigantur a judicio, prudens et efficax propositum esse nequit, cui antecedit judicium certo affirmans pro eodem instanti ejus contradictoriū: atqui certi sumus de relapsu in venialia; ergo haec neque vere detestari, nec verum propositum ea vitandi possumus concipere.

R. D. min. Certi sumus de relapsu in venialia, que deliberate omnino committantur N. de relapsu in venialia, que ex subreptione et minus deliberate nobis accident, *subdist.* certi sumus, quod tam frequenter in eadem simus relapsuri ac prius N. possumus nobis probabiliter persuadere et cum gratia Dei sperare, nos rarius talia peccata deinceps commissuros C. Firmum et absolutum propositum concipere possumus vitandi omnia peccata venialia, que cum plena deliberatione admitti solent: hoc enim possibile est cum Dei gratia, que dignè postulantibus confertur secundum legem Dei ordinariam. Quanquam autem propositum prorsus absolutum de venia

libus sine deliberatione perfecta obrepentibus formari nequeat, eo quod totam illorum collectionem sine speciali privilegio diutius caveri sit impossibile; potest tamen pœnitens proponere, omnem adhibere diligentiam ad illa vitanda, vel minuenda quoad humano modo poterit: id quod tam ad contritionis actum, quam ad sacramenti pœnitentia integratam sufficit.

Inst. 1. Multis ob diuturnam peccandi consuetudinem tam difficilis emendatio appetet, ut impossibilem existiment: atqui de objecto impossibili non datur proæresis; ergo multi, qui peccata mortalia detestantur, propositum firmum de eorum emendatione concipere non possunt.

R. D. M. Multis emendatio impossibilis appetet speculative, directe et secundum quid C. emendatio tam difficilis appetet, ut impossibilem existiment prudenter, absolute, reflexe, et pensatis omnibus N. Propositum vitandi peccata mortalia debet esse absolutum, et de se perpetuum ex parte objecti; ergo non est de objecto impossibili: nam etsi gravibus argumentis nitatur judicium de futuro relapsu, speculativum tamen est, eique opponi potest judicium practicum de futura emendatione, nixum spe divinæ gratiæ, quam Deus precantibus, ut oportet, suamque operam strenue adhibentibus promittit, ac multis jam obduratis peccatoribus ad perfectam et constantem conversionem saepe contulit. Igitur judicium illud de relapsu futuro, utut probabile, repudiandum est, et animus spe divinæ gratiæ erigendus ad media viæ melioris alacriter capessenda.

Inst. 2. Si pœnitens contra judicium probabile relapsus, meliora sperare debeat; ergo propositum foret actus spei: atqui actus pœnitentia non est actus spei; ergo.

R. D. M. Propositum foret actus spei generalis C. peculiaris virtutis theologicæ subd. foret actus elicitus N. imperatus C. Quævis virtus amat, odit, timet, audet, aversatur, desiderat, atque etiam sperat: qui quidem actus communes sunt virtutibus omnibus, atque etiam pœnitentia. Quanquam proposita pœnitentium, ut firma satis sint, spei theologicæ actibus imperatis juvari omnino oporteat.

ARTICULUS VI.

AN PÖENITENTIÆ SACRAMENTUM INFORME ESSE POSSIT DEFECTU ATTRITIONIS?

176. Nota I. Sacramentum, cui nulla pars essentialis deest, dicitur esse validum seu verum: quod si nullam gratiam suscipienti conferat defectu dispositionis debitæ, erit sacramentum verum quidem et validum, sed informe, eo quod careat forma gratiæ, quam essentialiter significat, et in subjecto rite deposito efficit. Talia sacraenta sunt Baptismus, Ordo et alia, quæ ministrantur peccatoribus adultis, per attritionem vel contritionem ante non dispositis, ad gratiam sacramenti recipiendam.

Nota II. Dari posse etiam Pœnitentia sacramentum verum et validum, sed informe, tenuerunt olim Capreolus, Richardus, Paludanus, Cajetanus, Sotus, Canus, Silvester, Navarrus, et alii, quos refert et sequitur Suarezius disp. 20. sect. 5., cui consentiunt de Lugo, Gaspar Hurtadus, Tannerus, Diana, et multi recentiores. Variis autem modis id contingere posse vete-

res existimaruunt, quos hic recitare et confutare supervacaneum erit: quandoquidem eorum alii extra statum quæstionis versantur, alios vera supra jam rejicimus.

Igitur tunc solum videtur dari posse confessio valida ad sacramentum constituendum, at informis quoad effectum gratiæ, cum ei deest attritio non quidem intensive, sed extensive sufficiens, seu ex defectu integratatis non vero qualitatis attritionis, orto ab inculpabili inadvertentia vel ignorantia. Ut cum quis de gravi peccato furti se accusans illud detestetur ex speciali solum motivo justitiae, ac proponat deinceps vitare omnia mortalia ex motivo honestatis, quæ reperitur in vitando relapsu post factam reconciliationem: de peccato vero libidinis lethali, quod sola cogitatione admisit, nihil ex obliuione inculpata doleat; hic, inquit Theologi illi, sufficienter est dispositus, ut de furto cum fructu absolvatur; nihilominus ei obstat occultum libidinis peccatum, quo minus gratiam absolutione sacerdotis obtineat.

Nota III. E contra complures alii negant, posse dari verum Pœnitentia sacramentum, ac simul informe. Et Andreas Vega quidem L. 13. in Trid. c. 26. 34. et 36. id inde probat, quod existimata saltem ex invincibili ignorantia attritio necessaria sit, ac sufficiat non ad substantiam solum, sed ad effectum quoque sacramenti: quam opinionem ut falsam supra jam reputavimus. Melius sententiam istam defendunt Gabriel, Joan. Major, Adrianus et Medina veram et supernaturalem contritionem perfectam vel imperfectam necessario requirentes tam ad essentiam, quam ad effectum hujus sacramenti: quibus accedunt Gabriel Vasquez, Pallavicinus, Haunoldus, et recentiores innumeri. Et haud dubie eadem mens fuit prisorum Scholasticorum, qui unanimiter pro dispositione ad gratiam absolutionis obtinendam exigebant contritionem ex caritate perfecta, aut saltem ex amore Dei initiali profectam. Cum quibus

177. Dico. Quando pœnitenti in dato casu deest universalis detestatio peccatorum mortalium, Pœnitentia sacramentum simpliciter nullum est, adeoque informe dari nequit et verum ac validum.

Prob. I. Concilium FLORENT. in decreto Eugenii §. Quartum ait, materiam hujus sacramenti esse actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes: quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero; ergo motivum universale ex parte propositi non requirit. Atqui hoc idem est motivum doloris: est enim impossibile, ut quis amet aliquod motivum, et simul advertat ad peccatum a se commissum destructivum illius motivi, quin doleat de peccato ex tali motivo; ergo cum motivum tam propositi, quam detestacionis sit universale, sacramentum Pœnitentia nequit esse informe. Quam ob rem Concilium TRIDENTINUM Sess. 14. cap. 4. docet, contritionem non solum *vita nova propositum et innovationem*, sed *veteris etiam odium continere*: nec ratio appetat, cur illud necessario universale esse debeat, et non istud.

Prob. II. Concilium TRIDENT. eadem Sess. 14. can. 4. ita definit: *Si quis negaverit, ad integrum et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente..., videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem,*

quæ tres Pænitentiaæ partes dicuntur...; anathema sit. Unde ita argumentor: ideo sacramentum Pænitentiaæ, juxta adversarios, informe est, quia deficit contritio actus pœnitentis: atqui contritio actus pœnitentis est pars pœnitentiaæ, ad peccatorum remissionem requisita; ergo hujus defectu sacramentum plane nullum est.

Prob. III. Eadem Synodus cum cap. seq. dixisset, exigere eorum tantum peccatorum mortalium confessionem, quorum pœnitens recordatus fuerit, illico subjungit: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogianti non occur- runt, in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro qui- bus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine.* Ergo juxta doctrinam Concilii universim peccata mortalia occulta intelliguntur inclusa in eadem confessione, et per eamdem confessionem illorum quoque venia petitur: atqui non sunt inclusa, neque venia illorum petitur, nisi ratione doloris universalis; nam dolore particulari nec comprehenduntur, nec retractantur; ergo ad confessionis valorem, ex mente TRIDENTINI, requiritur dolor universalis.

178. *Obj. I.* Sufficit restringi verba Concilii ad propositum universale universalitate tantum se extendente ad relapsum; ergo ex universalitate propositi non legitime concluditur necessaria universalitas detestationis ac doloris.

R. N. Ant. Si ita arbitrari licet, dicam, requiri tantum propositum non repetendi peccata commissa, neque illud extendi debere ad peccata omnia, quorum species nondum fuit perpetrata. Atqui Concilium Sess. 14. cap. 4. contritioni, ait, junctum esse propositum non peccandi de cætero, quod sine dubio generatim ad omnia prorsus peccata extenditur. Et infra, illa attritio ad Dei gratiam in sacramento Pænitentiaæ impetrandam disponere dicitur, quæ voluntatem peccandi excludit, h. e. virtuale saltem propositum continet, nullum deinceps admittendi peccatum. Et clarius adhuc Sess. 6. cap. 6. ad dispositionem baptismi præviam exigitur, ut proponant... inchoare novam vitam, et servare divina mandata. Quo quidem argumento pressi adversarii fatentur, ideo debere magis extendi in sacramento Pænitentiaæ propositum, ne minus ad justificationem requiri videatur ab eo, qui post baptismum multis se criminibus contaminavit, quam ab illo, qui peccatum nullum personale ante baptismum commisit.

Inst. 1. Synodus TRIDENTINA Sess. 14. cap. 4. loquitur de attritione, quæ per se est sufficiens dispositio ad gratiam in sacramento: atqui attritio ex particulari motivo virtutis moralis concepta sufficienter in sacramento ad gratiam disponit, quantum ex se, et respectu eorum peccatorum, quæ quis detestatur formaliter, et confitetur; ergo juxta mentem Concilii TRID. attritio ista sufficit ad constituendum sacramentum; nam ex accidenti plane se habet, quod peccati ignoti obex in subjecto hæreat, quo attritionis et sacramenti effectus impediatur.

R. N. min. Secundum cap. 3. ejusdem Sess. sunt quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, etc. qui quatenus in pœnitente ad integratatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pænitentiaæ

dicuntur. Atqui contritio ex particulari virtutis moralis motivo concepta non conductit ad perfectam remissionem peccatorum in casu positivo; ergo. Nec juvat hic causari, quod per accidens ob ignorantem aliud peccatum attritio talis effectum gratiae in sacramento obtinere nequeat, utpote obice latente impedita. Nam extra casum talem ne per se quidem id potest: si quis enim solius intemperantiae gravioris reus, hoc peccatum mortale ex temperantiae tantum motivo detestaretur sine proposito formaliter, hic etsi rite confessus sacramenti fructum non perciperet; nam etsi Suaresius Lect. 4. n. 33. doceat, propositum virtuale per accidens sufficere; quia tamen temperantiae motivum particulare est, universale propositum nequaquam virtute sua comprehendit, quod tamen universale propositum saltem virtuale, ad Pœnitentiaæ sacramentum simpliciter exigi hucusque ostendimus, et adversarii ipsi passim fatentur.

Inst. 2. Materia essentialis sacramenti Pœnitentiaæ est detestatio peccatorum a suscepto baptismo admissorum: atqui hic dolor esse potest sine effectu gratiae; ut si quis non concepto dolore de peccatis ante baptismum cum obice susceptum commissis, postea doleret de peccatis suis ut oppositis obligationi christiana, dolor iste obicem non tolleret; ergo.

R. D. M. Materia Pœnitentiaæ essentialis per se ac regulariter est talis detestatio, modo sit satis universalis. *C.* talis detestatio, que per accidens non est sat universalis ac sufficiens ad plenam et perfectam peccatorum remissionem, est materia essentialis Pœnitentiaæ *N.* Male presumit Lugo n. 94. tanquam indubitatum, quod in illo casu sufficeret detestatio peccatorum, in quantum sunt hominis christiani. Opus autem est detestatione magis universalis, quæ et peccata ante baptismum commissa, et ea, quæ baptismum secuta sunt, complectatur, ac duplice munere fungatur: habet enim se tantum ut dispositio, qua posita, baptismus reviviscens peccata praecedentia abstergat; pars vero materialis est Pœnitentiaæ sacramenti, quo peccata a Christiano jam perpetrata dimittuntur. Unde apparet, peccata, quæ baptismum antecesserunt, nequaquam esse materiam remotam sacramenti solutionis.

179. *Obj. II.* In sacramentis alis defectus doloris est tantum obex gratiae; ergo idem contingere potest in Pœnitentiaæ sacramento.

R. N. Cóns. In sacramentis cæteris contritio est tantum dispositio ad consequendam gratiam: in Pœnitentiaæ autem sacramento est simul pars essentialis. Hinc petitur ratio, cur non sufficiat contritio existimata: composita enim ex veris partibus, non autem ex putatibus constare queunt. Hinc iterum patet, cur absolutio et confessio sine dolore non possint moraliter perseverare, dum postea verus dolor excitetur, sicut baptismus rite collatus perstat moraliter, ac postmodum amoto per contritionem obice gratiam denique reviviscens confert.

Inst. Sufficit dolor, quo confessio peccatorum memoriae occurrentium habeat veram formam accusationis, et absolutio formam judicij exhibeat: atqui talis est dolor particularis de peccato occurrente memoriae, et tamen inefficax respectu alterius quod studiose reminiscentem fugit; ergo.

R. D. M. Sufficit talis dolor si fuerit universalis et proposito universalis conformis saltem ex motivo tale propositum virtute comprehen-

dente C. si fuerit particularis, qui propositum universale non fundet N. Ideo non potest deduci par ratio a confessione non integra materialiter : nam integritatem istam saepe de industria omittens vere absolvitur et gratiam sacramenti obtinet ; quod nemo dixerit licere de dolore particuli. Deinde dolor universalis et detestationem omnium peccatorum in confessione omissorum, et propositum vitandi omnia etiam ignota complectitur ; quae omnia particulari dolori desunt.

CAPUT IV.

DE CONFESSIONE PARTE ALTERA SACRAMENTI POENITENTIAE.

ARTICULUS I.

DE PRÆCEPTO ECCLESIASTICO CONFITENDI.

180. *Nota.* Sicut fides et caritas, ita poenitentiae quoque virtus præcipitur lege naturali, quæ secundum se quidem præit legem Dei positivam, per quam virtutis ejusdem exercitium imperatur. E contra lex confitendi sua peccata et poenitentiae sacramentum obeundi solum est positiva ; neque dici potest naturalis, nisi in quantum natura dictat, adhiberi oportere media a Deo ad salutem obtainendam injuncta. Tale vero medium ex divina ordinatione præscriptum esse confessionem, fuit probavimus cap. 1. fere toto hujus disputationis. In præsens autem queritur, quos et quando lex ista obliget ex determinatione Ecclesiae aut necessitatibus ?

181. *Dico.* Lege ecclesiastica usus confessionis fidelibus certo tempore præcipitur.

Prob. I. Canon 21. magni Concilii LATERANENSIS an. 1215. sub INNOCENTIO III. celebrati ita habet (Labb. t. 11. p. 173. A.) : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere.* Eadem lex approbatur a Conc. TRID. Sess. 14. cap. 5. et can. 8. damnantur oppositum suadentes.

Prob. II. Præceptum confessionis annuae dudum jam ante Concilium istud LATERANENSE vigebat. Nam B. Joan. CHRYSOSTOMUS hom. 30. in Genes. (opp. t. 4. p. 294. A.) quam in majore hebdomade habuit, monet suos, faciendam tunc esse puram et diligentem peccatorum confessionem, ut pluribus ejus verba recitavimus supra n. 103. ad Inst. 4. Sonnatus Archiepiscopus Rhemensis in Ecclesie sue statutis, et Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Capitulari ad sue diocesis Episcopos cap. 36. (patrol. t. 105. p. 203.) tempus Quadragesimæ huic confessioni assignant, seculo nono.

Regino Prumiensis abbas seculo decimo, L. 1. de Ecclesiasticis disciplinis cap. 57. et 288. feriam quartam ante Quadragesimam ab Episcopis et Presbyteris, ait, plebi Christianæ præscribi oportere, ut cum omni humilitate et contritione cordis omnis simpliciter confessus, suscipiat remedia poenitentiae, etc. Et L. 2. c. 63. monet sciscitandum ex laicis, si ad confessionem non veniat, vel una vice in anno, et poenitentiam pro peccatis suis suscipiat, etc.

Seculo eodem Ratherius Episcopus Veronensis in synodica ad Presbyteros per universam dicæcesin constitutos, Feria quarta, inquit, ante Quadragesimam, plebem ad confessionem invitare, etc. (patrolog. t. 136. p. 562.)

Undecimo seculo Burchardus Wormatiensis Episcopus L. 16. Decretorum cap. 2. statuit, monendos esse populos, ut feria quarta ante Quadragesimam confessionem accendant.

Odo Parisiensis Episcopus, in statutis vetuit, ne quis ultra annum confessionem suam differat, tom. 6. Bibliothœcæ PP. Binii, et tom. 10. Conciliorum.

Imo S. Chrodegangus Episcopus Metensis in Regula cap. 32. tom. 3. Spicilegii (et Patrolog. t. 89. p. 1072. A.), præceperat jam seculo octavo, ut ter per annum populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat. Ex hac doctrina

Conficitur 1º. Nondum baptizatos lege ista non adstringi ; cum nec sint proprie fideles, nec peccata ipsorum subsint clavibus Ecclesie, neque possint subjici etiam post baptismum susceptum.

2º. Lex ista ligat omnes baptizatos mentis compotes et gravis peccati reos, atque ipsum etiam summum Pontificem saltem quoad vim directivam : exigit enim lex naturæ, ut caput membris conformetur in iis, quæ ipsi et membris sunt communia.

3º. Ait decretum Concilii Lateran. *Qui ad annos discretionis pervenerint :* quare amentes et parvuli, qui nondum contraxerunt peccata mortalia, nec possunt exhibere actus penitentie, canone isto non comprehenduntur.

4º. Canoni illi sunt obnoxii, qui consciæ sunt sibi peccati lethalis ; nam venialia confiteri nemo tenetur, ut habeat Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 5. sub finem monens, Ecclesie præcepto designari tantum tempus, quo tenemur confessionem jure divino necessariam facere : atqui jure divino nemo tenetur ad confessionem noxarum venialium, aut eorum mortalium, quies semel jam pro confessione fuit legitime absolutus ; ergo.

5º. Præcepto isti non satisfit per confessionem sacrilegam : Ecclesia enim præcepto divino implendo tantum assignavit tempus; igitur non satisfacit præcepto ecclesiastico, qui non implet divinum præceptum, quod jubet, peccata sacramento confessionis expiari. Vide 14^{am}. propositionem ex damnatis ab Alexandre VII. Quod si daretur confessio sacramentalis valida et informis, defectu doloris se extendentis ad peccata, quorum poenitens non reminiscitur, ea satisficeret præcepto Ecclesie, quæ tantum requirit, ut hoc sacramentum bona fide suscipiat, perceptionem autem fructus non imperat. Ita Ecclesie præcepto satisfacit, qui in statu peccati missæ assistit, etsi ejus fructum non percipiat : nec enim fructus missæ præcipitur, sed reverens ejus auditio, licet etiam haec præcipiatur ob fructum, tanquam propter finem legis extrinsecum, qui sub præceptum non directe cadit.

6º. Rite confessus mortalia clavibus nondum subjecta satisfecit præcepto